ASSERTIONES THEOLOGICAE IN EPI-*stolam D. Pauli ad Romanos.*

ANTE INSTAVRATIONEM STVdiorum in templo Societatis IESV disputandæ.

IN HOC NOMINE OPORTET NOS SALVOS FIERI

IHS

Romæ in Ædibus Societatis IESV.
M. D. LX.

ASSERTIONES THEOLOGICAE IN EPISTOLAM PAVLI AD ROMANOS.

Epistolæ huius, quæ omniū D. Pauli epistolarū non tempore, sed dignitate prima est, argumentum id esse existimamus; Euangelij gratiam, seu salutem omnibus aduenisse, idque nullis cuiusquam præterquàm Christi meritis præcedentibus; iustosque ex impijs fieri homines, non operum suorum merito, sed Christi fide, & gratia. Itaque omni in hac parte propriorum meritorū fiducia deposita, iustitiam tam Iudæo, quā Græco ex Dei misericordia per Christum esse expectandam.

NEC uerò putandum est, aut nullam in homine, ante iustificationem, præparationem requiri, aut solam cuique ad eam rem fidem sufficere. Illud enim, quod Ecclesia docet, pro certo habēdum est: tum disponi impium ad iustitiam, cùm excitatus diuina gratia, & adiutus, fidem ex auditu concipiens, liberè mouetur in Deum, uera esse credens, quæ diuinitus reuelata, & promissa sūt, atque illud inprimis, à Deo iustificari impium, per gratiam eius, per redemptionem, quæ est in Christo IESV, cumque peccatorem se esse intelligens, à diuinæ iustitiæ timore ad Dei misericordiam conuersus, in spem erigitur, fidens Deum sibi per Christum propitium fore, illumque tanquam omnis iustitiæ fontem diligere, ac propterea peccata sua odisse, & detestari incipit, denique baptismum suscipere, nouā uitam inchoare, & diuina mādata seruare proponit. Opus est etiā e. sua præparatione, qui post baptismum amissam iustitiam sit recuperaturus.

IN CAPVT PRIMVM.

PAVLVS.

FVIT & Saulus dictus. Horumque nominum alterum ei tribus Beniaminica dedit, alterum uerò inde habuit, quòd ciuis Romanus esset, paruaque mutatio ex Saulo Paulum effecit.

VOCATVS APOSTOLVS.

NON se Apostolum uocari significat, sed in hoc à Christo fuisse uocatum, ut eßet Apostolus.

QVI FACTVS EST EI &c.

IS est huius loci sensus: Qui ut secundum carnem factus est ex semine Dauid, ita secundum spiritum .i. diuinitatem, qua alios sanctificat, filius Dei est æqualis patri.

QVI PRAEDESTINATVS EST &c.

NON est prædestinatum, ut esset filius Dei, qui semper id fuerat: sed ut, qui filius Dei erat, homo fieret, atque adeò ut homo filius Dei esset, quod non semper fuerat.

TESTIS ENIM MIHI EST DEVS.

DVM iurat Paulus hoc loco, iuramentum, cum causa postulat, cæteræque neceßariæ conditiones adsunt, licitum esse confirmat.

VIRTVS ENIM DEI EST.

NON ipsa nuda uerba uirtutem dicit, sed cùm ea, de qua supra diximus, dispositione creduntur, tum Deum in hominũ mentibus salutem operari.

IVSTITIA DEI.

NON qua Deus iustus est, sed qua iustos facit homines, in eorum, qui iustificantur, cordibus charitatem, quæ ipsis inhæreat, per Spiritum sanctum diffundens.

VERITATEM DEI IN INIVSTITIA DETINENT.

Dum

DVM uel agnitam celant, uel improbis moribus eam, ne se in opus exerat, impediunt.

TRADIDIT IN REPROBVM SENSVM.

SVBtrahēs nimirum eis id auxilium, sine quo ab eiusmodi peccatis abstineri non potest. Id quod Deus facere solet, iusto quidē semper, sed occulto plerunque iudicio. Ita peccatum est pœna peccati.

NON INTELLEXERVNT QVONIAM QVI &c.

ILLA hoc loco probanda est lectio, qua significatur, nulla se apud Deum excusatione posse defendere, qui cùm possent, noluerunt tamen animum aduertere, & secum reputare morte dignos esse non eos tantùm, qui illa facerent, sed etiam qui facientibus consentirent.

IN CAPVT SECVNDVM.

IIS QVIDEM, QVI SECVNDVM PATIENTIAM BONI OPERIS &c.

HVNC locum ita putamus esse legendum: Iis quidem, qui secundū patientiā boni operis, gloriam & honorem, & incorruptionem quærentibus uitam æternam.

IVDÆI PRIMVM, ET GRÆCI.

AVT significatur, Iudæū primò puniēdū, quòd primus in mūdo Dei legem acceperit, eique primò fuerit Euangelium annuntiatum: aut id perinde est, ac si diceretur, Iudæi simul, & Græci. Cui sensui fauet, quod sequitur: Non enim est acceptio personarum, &c.

QVICVNQVE ENIM SINE LEGE PECCAVERVNT.

SINE lege peccasse intelligendi sunt, qui eam non foris, sed

intus in cordibus suis scriptam habuerunt.

NON ENIM AVDITORES &c.

VEL *unus hic locus Hæreticorum illorum errorem euertit, qui solam fidem ad salutem sufficere prædicant.*

CVM ENIM GENTES, QVAE LEGEM &c.

NATVrali *quidem facultate possunt bona quædam fieri, sed omnia sine gratia non possunt. Itaque uel hîc natura per gratiam sanata intelligenda est, uel illi naturaliter, hoc est, natura docente, gratiaque uires præstante, ea quæ legis sunt, facere à Paulo dicuntur.*

CIRCVNCISIO QVIDEM &c.

VEL *hoc loco Circuncisio pro Iudæo sumitur, uel à Paulo illo tempore dicitur profuisse, quo uim suam legalia retinebant.*

IN CAPVT TERTIVM.

OMNIS HOMO MENDAX

EX *se quidem mendax est omnis homo, quandoquidem sine Dei gratia in ueritate stare non potest.*

EX OPERIBVS LEGIS NON IVST.

VIDEri *possit hic locus ei contrarius, quo dictum est, factores legis iustificandos, nisi aduertamus, aliud esse, ex operibus legis aliquem iustificari, id est ex operum merito iustitiam primam acquirere, quod hîc negatur: aliud uerò, non habendum iustum apud Deum adultum aliquem, qui opera bona non faciat, quod suprà affirmatum est.*

PER LEGEM COGNITIO PECCATI.

MOYsis lex cognitionem quidem peccati attulit, sed non gratiam, adeoque ad salutem sola satis non erat.

IVSTITIA PER FIDEM.

Eò per fidem homo à Paulo iustificari dicitur, quòd fides iustificationis initium sit, & totius spiritualis ædificij fundamentum.

ARBITRAMVR ENIM IVST.

SINE operibus homo iustificari dicitur, quòd nullis propriorum operũ meritis præcedentibus iustitiam primam accipiat.

LEGEM STATVIMVS.

LEgem statuit Paulus, dum gratiam prædicat, sine qua nec impleri lex, neque finem suum consequi potuit.

IN CAPVT QVARTVM.

SECVNDVM CARNEM.

POtest id uel ad Abraham, uel ad uerbum inuenisse, referri: nobis tamen magis placet, ut ad Abraham referatur.

CREDIDIT ABRAHAM &c.

CVM Abraham eo tempore iustus fuerit, quo id de illo Scriptura commemorat, existimamus, eam ob causam hoc ita scriptum esse, ut fidei uirtus fuisse indicaretur, quæ ei & primam iustitiam, & secundam attulerit ex

iniusto uidelicet iustum, & ex iusto iustiorem efficiens, quanuis non pari utrunque ratione præstiterit: in prima enim iustificatione, cum reliqua, de qua supra dictū est, præparatione: in secunda uerò, ex charitate profectis operibus, ut Iacobus ait, cooperabatur.

EI, QVI OPERATVR &c.

ID est, quod operibus redditur non gratia, sed debitum dicitur. Quare cùm Abrahæ gratis fuerit prima iustitia data (id enim significat imputationis uerbum) non eam operibus est consecutus.

EI, QVI NON OPERATVR.

ID est, qui nulla habet operum merita: alioqui fidem ipsā opus quoddam esse, apud Ioannem Christus ipse testatur.

REPVTATVR FIDES AD IVSTITIAM.

ID NON eò dictum est, quòd homo non uere iustus sit, sed tantùm reputetur: sed potius, quòd fides ipsa, quæ sine charitate iustificare non potest, tanquam ad iustitiam impetrandam, & obtinendam sufficiens, à Deo ex misericordia acceptetur.

SECVNDVM PROPOSITVM GRATIAE DEI.

PROpositum gratiæ Dei dicit, quòd statuerit Deus ita ad se accedentem, per Christi merita iustificare.

ACCEPTO FERT IVSTITIAM.

TVM Deus accepto fert iustitiam, cùm hominem nullis id operibus promerentem in suam recipit amicitiam, eumque peccatis remissis, uerè iustum efficit.

SIGNACVLVM IVSTITIAE.

CIR

CIRcuncisio iustitiam quidem ex opere operato non conferebat, sed collatam per fidem significabat.

IVSTITIAE FIDEI.

NON quòd sola fides iustificet, ideo fidei iustitia dicitur, sed quòd sine operum meritis, in Christum credentibus prima iustitia conferatur.

ABOLITA PROMISSIO.

QVOD uidelicet lex neminem unquam iustum facere, neque ad perfectum adducere potuerit.

LEX IRAM OPERATVR.

OPEratur lex iram, dum quid uitandum sit, indicat, sed gratiam, qua uitetur, non præstat.

IDEO EX FIDE &c.

FIRma non erat futura promissio, si hominum tantùm meritis (quæ nulla sine Dei gratia esse poterãt) iustitia præstanda fuisset. Nunc autem firma est, cùm ex Dei gratia, Christique, & non nostris meritis pendeat.

TRADITVS EST PROPTER DELICTA &c.

ETSI Christus propter peccata nostra resurrexit, & propter iustificationem nostram traditus est; tamen in morte potissimùm ostendit, ut nobis peccato moriendum sit; in resurrectione uerò, ut sit in iustitiæ nouitate uiuendum.

IN CAPVT QVINTVM.

ACCESSVM HABEMVS PER FIDEM.

VEL hinc colligi potest, non fidem solam iustificare, sed ad iustitiam tantummodo aditum parare.

PATIENTIA AUTEM PROBATIONEM.

CUM D. Iacobus probationem inquit operari patientiam, aliter probationis nomine utitur, pe[illegible]ntiamque uult, quibus fides probatur, tribulationibus comparari: faciunt enim hæc ad acquirendam patientiam: sed & ipsa patientia (ut D. Paulus asserit) probatum hominem, constantemque reddit.

CHARITAS DEI DIFFUSA EST.

NON est iustitia nostra imputatiua, ut dicunt Hæretici, sed eiusmodi, ut ea donati, spiritu mentis nostræ renouemur, uereque iusti nominemur, & simus.

SECUNDUM TEMPUS.

ID est, tempore opportuno, & ab æterno, à Deo patre præfinito.

VIX PRO IUSTO &c.

QUI, inquit, pro homine, qui nemini quicquam noceat, moriatur, uix quenquam reperias; qui uerò pro benefico, & de alijs benemerito, fortassis aliquem. Potest & iusti, boniquè nomen hoc loco pro eadem re sumi.

IN QUO OMNES PECCAUERUNT.

ET in primo homine, & in primo peccato, ab omnibus peccatum est, non tamen ita, ut unum illud tantùm sit omnium peccatum, & non quisque proprium habeat originale peccatum; sed ut in eo, quod fecit Adam, fuerit quisque Dei legem transgressus; omnium enim ille hominum personam gerebat.

QUI

QVI NON PECCAVERVNT IN SIMILITVDINEM.

PEccauit enim Adam propria uoluntate, paruuli aliena; ideóque peccatum eius dicitur personale, paruulorum uerò originale, quasi origine contractum, & in suo admissum principio.

QVI EST FORMA FVTVRI.

FVturi dicitur Adam forma. Nam quos is suo peccato perdidit, hos sua Christus gratia reparauit.

IN PLVRES ABVNDAVIT.

PLVra quidem sunt humano generi per Christum præstita, quàm fuerit per Adam perdita: tamen hoc loco plures, pro multis, positum est.

IN OMNES HOMINES IN IVSTIFICATIONEM.

IVstificantur omnes, si renascantur in Christo, ut moriuntur omnes, qui nascuntur ex Adam.

IVSTI CONSTITVENTVR MVLTI.

ID ita intellige, modo Christo adhæreant, eiusque gratiam participent.

VT ABVNDARET DELICTVM.

NON in hunc finem lex data est; sed ea data, naturæ uitio, atque humanæ uoluntatis peruersitate id est consecutum.

IN CAPVT SEXTVM.

IN MORTE IPSIVS BAPTIZ.

IN morte Christi baptizantur Christiani, quòd ijs Christi meritum, eiusque passionis uirtus per baptismum applicetur, seque illū imitaturos esse ipsi baptismate profiteantur.

PER GLORIAM PATRIS.

IN eo enim illustris facta est Dei uirtus, quòd mortuum uitæ restituit. Potest & filius ipse hoc loco intelligi, qui est gloria patris.

COMPLANTATI.

INseruntur enim in Christum, quicunque in Christo baptizantur.

ET RESVRRECTIONIS.

NON hîc tam corporum, quàm eam animarum resurrectionem intelligimus, quā suprà nouitatem uitæ Paulus appellauerat, quamque suo tempore corporum resurrectio consequetur.

SIMVL CRVCIFIXVS EST.

ABLato uidelicet reatu, fomitisque uiribus ita imminutis, ut neque amplius hominem damnare possit, neque ei dominari.

VT VLTRA NON SERVIAMVS PECCATO.

SI non frustra id Paulus dicit, uana est Lutheranorū de peccandi necessitate sententia.

IVSTIFICATVS A PECCATO.

ID est, ab eius actibus, & maleficijs, uelut in iudicio liber effectus, atque ab eius tyrannide in libertatem assertus; id quod totum Christus per baptisma efficit, uerè per id peccata remittēs hominemque in uitæ nouitate, ueraque iustitia constituens.

MOR

MORTVVS EST PECCATO.

MOrtuus dicitur Christus peccato, quòd in similitudine carnis peccati, & ad humanum genus expiandum mortuus est.

VIVIT DEO.

VItam uidelicet apud illum æternam, immortalemque habēs.

NON REGNET PECCATVM.

TVM regnat peccatum .i. fomes, cùm eius concupiscentijs obeditur.

SIVE OBEDITIONIS AD IVSTITIAM.

VT per peccatum in mortem, ita per obeditionem in iustitiam itur, nemoque, nisi obediendo, iustus efficitur.

HVMANVM DICO.

QVOD uidelicet humana possit infirmitas ferre. Indicat uerò Paulus, se cum illis districto iure agere nolle, minúsque exigere, quàm rei dignitas, & causa postulent.

INIQVITATI AD INIQVITATEM.

IN Iquitati ad iniquitatem seruit, qui se, ut iniquè uiuat, iniquitati tradit. Contra uerò, qui ut sanctè uiuat, iustitiam exercet, is iustitiæ seruit in sanctificationē.

GRATIA DEI VITA AETERNA.

NON dicitur gratia uita æterna, quasi bonorum operū meritis non reddatur. sed quia ex Dei gratia merita ipsa procedunt. Itaque ut gratia agnosceretur, in hunc modum Paulus locutus

est: alioqui ut peccati stipendium mortem dixit, ita operum bonorum mercedem uitam æternam dicere potuisset.

IN CAPVT SEPTIMVM.

QVANTO TEMPORE VIVIT.

Homo scilicet, uel lex; ad utrunque enim referri potest.

VIVENTE VIRO.

VEL ex hoc loco potest colligi, nullam ob causam licere uxori, uiuente uiro, alij nubere.

MORTIFICATI ESTIS LEGI.

ID est eius imperio, atque supplicio per Christum liberi effecti.

ESSEMVS IN CARNE.

ID est, legem carnali sensu obseruaremus.

QVAE PER LEGEM ERANT.

Excitabat enim eas lex, dum iuberet, & per gratiam non iuuaret.

VT SERVIAMVS.

CHristiani non lege soluti sunt, sed lege mortis. Itaque ijs lege Christi deinceps uiuendum est.

PECCATVM NON COGNOVI.

NON se cognouisse ait, peccatũ æternæ hominem damnationi obnoxium reddere. alioqui sine lege peccatum nouerũt uel gentium philosophi. Potest & ista cognitio ad experientiam referri: neque enim tantam ante, quantam post legem datam, fomitis

mitis

mitis uehementiam homines senserant.

PECCATVM REVIXIT.

REuixit peccatum, dum & perfectius cognosci, & sentiri apertius cœpit.

VT APPAREAT PECCATVM.

ID est, ut quanta sit eius malitia, quantaque uehementia homines in peccatum impellat, euidens fieret.

VENVNDATVS SVB PECCATO.

VEndidit nos Adam, & sub peccati lege seruos effecit.

NON INTELLIGO.

ID est, mente non probo, quod in me concupiscentia seu fomes operatur.

ILLVD FACIO.

NOn consensu, aut affectu, sed sensu tantùm, atque effectu.

QVOD HABITAT IN ME PECCATVM.

COncupiscentia non ideò peccatum dicitur, quòd peccatũ propriè sit, sed quòd sit peccati causa, & peccati merito in mundum inuecta.

CONDELECTOR LEGI DEI.

VEl hic locus fidem facit, Paulum in persona hominis iustificati, in superioribus fuisse locutum.

IGITVR EGO IPSE &c.

ET seruiunt iusti Deo, & concupiscentiæ motibus liberi prorsus non sunt. Illud iustos facit, hoc non facit iniustos.

IN

NIHIL DAMNATIONIS &c.

HINC patet, etsi iusti fomite prorsus non carēt, nō illis tamē motus, quibus non consentiunt, ad peccatum imputari.

IN CARNE.

VEL sua, quam obtulit hostiam pro peccato, uel nostra, in qua peccatum hærebat.

MORTVVM EST PROPTER PECCATVM.

VT corpus tantis sit miserijs obnoxium, peccatum fecit; ut spiritus in libertate uiuat, gratia Dei facit.

IPSE ENIM SPIRITVS &c.

REddit quidem testimonium Spiritus sanctus spiritui nostro, sed ita, ut ei certum omnino non sit, Deum esse, qui loquitur. Potest etiam quod hîc dicitur, de aperta Dei reuelatione intelligi.

SI TAMEN COMPATIMVR.

OPerum ergo, & patientiæ meritis opus est, cœlestem hæreditatem adituris.

NON SVNT CONDIGNAE &c.

SI substantiam operum spectes, nulla est ad æternum præmium dignitas, secus uero, si, ex qua proficiscuntur, gratia consideretur.

EXPECTATIO CREATVRAE.

EXpectant creaturæ reuelationem filiorum Dei, quòd finem suum

suum illo in tempore sint consequuturæ, atque ab ea uanitate, cui nunc subiectæ sunt, dum hominum abusibus seruiunt, sint liberandæ.

SIRITVS POSTVLAT.

Postulat pro nobis Spiritus, dũ ea inspirat et postulare facit, quæ nobis utilia sint.

DILIGENTIBVS DEVM, OMNIA, &c.

Cooperãtur diligentibus Deum etiam peccata, dum uidelicet ab his cautiores redeunt, & humiliores.

QVOS PRÆSCIVIT, ET PRÆDEST.

Non eos prædestinat Deus, quos bene gratia usuros præsciuit; sed ij potius usq; ad finẽ gratia bene utũtur, quos ipse prædestinauit. Ita non bona opera prædestinationis, sed prædestinatio bonorum operum causa est.

QVOS VOCAVIT, &c.

NON quicunque uocãtur, ij omnes iustificantur, neque qui iustificantur, omnes magnificantur; sed illis tantùm hæc omnia contingunt, qui secundum Dei propositum electi sunt.

QVIS NOS SEPARABIT A CHAR.

NEque ab illa, qua nos Deus prosequitur, neque ab ea, qua nos Deum prosequimur, charitate quisquam potest nos separare; nisi ipsi uelimus. Possumus uerò uelle, qui liberi sumus, & bonũ nulla ui coacti, persequimur.

IN CAPVT NONVM.

OPTABAM EGO IPSE ANATHEMA, &c.

SEPArari à Christo optabat Paulus pro fratribus, eorũque salutem suæ, si posset, dispendio redimere cupiebat.

CVM NONDVM NATI ESSENT.

VEL hic locus abundè ostendit, Dei prædestinationem ex nullis hominum operibus dependêre, sed (ut suprà diximus, & apertè hîc Paulus asserit) ex Dei electiõne, eiusque uoluntatis firmißimo proposito.

IACOB DILEXI, &c.

QVOD Iacob dilexerit, misericodia fecit, quòd uerò Esau odio habuerit, fecit iustitia.

NON VOLENTIS, NEQVE CVRRENTIS.

EST quidem uolentis uelle, & currentis currere; neque enĩ sine nobis nostram Deus salutem operatur; sed quia in re hac primas obtinet diuina uirtus, meritò dictum est; eius esse, & nõ nostrum & uelle, & currere. Potest & hoc ad id referri, quod proximè præcessit, ut nõ operibus nostris, sed diuinæ electioni salus nostra accepta referatur.

QVEM VVLT, INDVRAT.

INDVrat Deus, tollendo gratiam, sine qua nemo potest uocanti obedire.

VOLVNTATI EIVS QVIS RESISTIT?

FACIT contra Dei uoluntatem, quicunque peccat, nõ quidem resistendo absolutæ eius uoluntati, sed se ab eius ordine quodammodo subtrahendo.

ALIVD

ALIVD VERO IN CONTVMELIAM.

QVOSdam Deus in honorem, alios uerò in contumeliam, seu suppliciū destinauit; non quidem in id creatos, ut perirent, sed ab eo, qui perituros esse præuidebat, in lucem eò productos; ut ostenderet iram, & notam faceret potentiam suam.

APTATA IN INTERITVM.

IPSA se aptarunt, suæque damnationis causa fuerunt.

VERBVM CONSVMMANS.

EVANgelij uerbum legis consūmationem attulit, & iustitiæ compendium, dum numero pauciora præcepta dedit, & uirtute maiora.

IN LEGEM IVSTITIAE.

IVDAEI per legem, iustitiam apprehendere non potuerūt, quòd fidei uim ignorantes, plus æquo suis operibus tribuerunt.

IN CAPVT DECIMVM.

FINIS LEGIS CHRISTVS AD IVSTITIAM &c.

HVC omnis lex pertinebat, ut in Christum crederetur, & per eius fidem, in iustitiam, & salutem ueniretur.

IVSTITIAM, QVAE EX LEGE EST, QVI FECERIT &c.

Vera ijs uita promissa est, qui legem facerent; sed hanc nullus ita fecit sine fide, ut par erat. Itaque quod legi fuit impossibile, id Christi gratia hominibus præstitit: suntque fideles breui (ut Moses prædixerat) compendio salutem consequuti.

SI CONFITEARIS.

Confessio hæc non simplex est, sed charitate formata.

IN OMNEM TERRAM.

ID, cùm Paulus hæc scriberet, & si non plenè: at quantum satis erat eius instituto, impletum fuisse censendum est.

IN CAPUT UNDECIMUM.

SI GRATIA, IAM NON EX OPERIBUS.

EX hoc loco facilè colligimus, & primam iustitiam sine operum merito dari, & æternam salutem nulli adulto sine meritis esse expectandam.

SI PERMANSERIS IN BONITATE.

HUnc locum legant, qui semel iustificato certissimã salutẽ temere pollicentur.

IN CAPUT DUODECIMUM.

UT EXHIBEATIS CORPORA, &c.

ILLE corpus suum hostiam exhibet, qui ipsum, diuina adiutus gratia, in spiritus, seu iustitiæ seruitutẽ redigit. Id uerò cùm fit, tum uiuens hostia, sanctaque & placens offertur Deo.

PROPHETIAM, SECUNDUM RATIONEM FIDEI.

CONueniens fidei oportet sit Prophetia, siue pro scripturarum

rum

rum interpretatione, siue pro futurorum prædictione sumatur.

NVLLI MALVM PRO MALO &c.

NON reddit malum pro malo, qui legitimè de impijs, & sceleratis pœnas uel sumit, uel sumendas curat.

IN CAPVT DECIMVM TERTIVM.
NON EST POTESTAS, NISI A DEO.

A Dæmone ergo sūt, qui magistratibus obedire contemnūt.

IPSI SIBI DAMNATIONEM ACQVIRVNT.

IN peccatis ergo mortalibus numerandum est, quod in hāc Dei ordinationem peccatur.

QVI DILIGIT PROXIMVM, LEGEM IMPLEVIT.

IN dilectione enim proximi, Dei dilectio continetur, ijs uerò duobus tota lex concluditur, & prophetæ. Potest etiam dici, ea parte legem impleri, qua proximum respicit.

IN CAPVT DECIMVM QVARTVM.
IVDICAT INTER DIEM, ET DIEM.

INter diem, & diem iudicat, qui delectum habet dierum. Qui uerò perinde se habet ad omnem diem, is iudicat omnem diem.

VNVSQVISQVE IN SVO SENSV ABVNDET.

NON permittit Paulus contra Ecclesiæ statuta pro arbitratu suo quenque agere, sed tantùm in rebus indifferentibus sequi, quod lubeat.

NIHIL COMMVNE PER IPSVM.

Nata

NATVRA quidem sua cibi boni sunt, neque iis Christus abstinere nos iussit: sed tamen audire omnes Ecclesiam uoluit, & sibi per eam ab omnibus obediri: qui enim Ecclesiam audit, Christum audit; & qui hanc spernit, Christum spernit.

BEATVS, QVI NON IVDICAT SEMETIPSVM &c.

ID est, qui ita probat, ut se non condemnet; condemnat uerò qui in iudicio errat. Ille itaque beatus est, qui non errat dum iudicat.

QVOD NON EST EX FIDE, PECCATVM EST.

ILLVM in hunc locum commentarium probamus, qui fidē accipit pro conscientia fide directa, contra quam si quid fiat, peccatum esse Paulus asserit.

IN CAPVT DECIMVM QVINTVM.

MINISTRVM FVISSE CIRCVNCISIONIS.

ID est, ministerio, seu officio Doctoris, apud Iudæos functum fuisse, quibus cum peculiariter fuisset promissus, noluit gētibus prædicare, ne hac uelut occasione Iudæi eius prædicationē reijcerent, quasi is non esset, qui ab eis tam multis seculis fuisset expectatus.

ADIVVETIS ME IN ORATIONIBVS.

ET hîc uideant Lutherani ualere plurimùm apud Deum orationes Sanctorum.

IN CAPVT DECIMVM SEXTVM.

NOBILES IN APOSTOLIS.

NON

NON quicunque Apostoli in scriptura dicuntur, æqualem cum duodecim dignitatem, aut authoritatem sunt sortiti; sed quòd missi erant ad prædicandum; ob id tantummodo quidam Apostoli dicebantur.

83

LAVS DEO.